

neris humani post multiplices contumelias, post verbera, ac tormenta gravissima in crucem egerunt; sed & Stephanum, *Martyrum*, ut eum Augustinus vocat, *primicerium*, eò quod constanti animo ac voce, Christum opus illud stupendum peregisse, contenderet, ac contumax Judæorum in eum odium liberè accusaret, lapidibus obruerunt, ambos insuper Jacobos, constanter & intrepidè itidem Christum confitentes, reliquosque Apostolos Domini ob eandem causam ex urbe migrare, eandemque relinquere coegerunt.

VII. Notatu verò digna est historia, quam Eusebius *Hist. Eccles. Lib. II. c. IX.* de Jacobo illo majore, ob priorem vocationem sic dicto, ac fratre Johannis, his seqq. verbis enarrat: *De hoc Jacobo rem prorsus memorià dignam refert Clemens in septimo institutionum libro, prout eam à majoribus acceperat. Ait enim, eum, qui Jacobum judicio obtulerat, cum illum vidisset Christi fidem liberè confitentem, commotum viri constantiâ, se quoque Christianum esse affirmasse. Ambo igitur, inquit, simul ad supplicium ducti sunt. Cùmque inter eundem rogasset Jacobum comes, ut sibi veniam daret, paulisper moratus Jacobum: Pax tibi, inquit, statimque osculatus est. Ita simul ambo capite truncati, interiire.*

VIII. Non verò in his acquiescebant, ac contenti erant Judæi, quod tot innocentium sanctorumque hominum sanguinem effunderent, sed & Filium Dei ipsum, qui ideò homo factus, ut animum coelestis Patris sui, à quo culpâ suâ defecerant, toti generi humano reconciliaret, horrendis blasphemis ac contumeliis afficere non cessabant: alia insuper multifaria ac teterrima flagitia & scelera ab ipsis commissa, v. g. idolatriam, avariti-

B

am,